



### **Guantanamo mox claudetur**

Praesidens Barack Obama, ubi primum munus iniit, campum carceralem Guantánamo intra annum claudendum esse decrevit.

Ita promisso satisfecit, quod praesidatum ambiens fautoribus suis dederat. Is, dum novae legi subscribit, ait Civitates Americae Unitas contra vim et terrorismum fortiter repugnare pergere, sed id non per nefas facere, sed ut bonis moribus Americanis conveniret.

### **Quid Vladimir Putin dixerit**

Vladimir Putin, princeps minister Russiae, colloquio diurnariis dato ponderabat, qui tandem fieret, ut patria sua apud Europaeos tam infamis esset.

Censebat causam illius rei esse metum, quem nomen Russicum Europaeis inde a vetustissima memoria iniecisset. Neque deesse, qui illam russophobiam usque conflarent, cum necessitudines inter Russiam et Unionem Europaeam meliores fieri nollent.

### **Caeliscalpium excelsissimum**

In urbe Constantinopoli, quae hodie Istanbul appellatur, caeliscalpium omnium in Europa excelsissimum aedificatur.

Speratur fore, ut haec turris plus ducenta sexaginta metra alta iam hoc anno exeunte perficiatur. Quae insula ex sexaginta quattuor contignationibus et centum septuaginta habitationibus luxuriosis constabit. In summo aedificio erit solarium cum prospectu ad urbem magnificentissimo.

### **Litterae Latinae in Bulgaria**

Magistratibus Bulgariae placuit, ut textus signorum viarum in terra sua etiam litteris Latinis exprimerentur.

Renovatio viatoribus peregrinis prodest, qui quotannis magna multitudine Bulgariam veniunt, sed litteras cyrillicas ignorantes magnas difficultates ad loca invenienda habent.

### **Potio coffeae saluti prodest**

Homines iuniores, si cotidie nonnulla pocilla coffeae ebibunt, in senectute tutiores adversus dementiae et morbum Alzheimer erunt quam ii, qui aut paululum coffeae sumunt aut tam ieiuni sunt, ut ne quattam quidem eius gustent.

Quod patet ex investigatione, quam medici Finni in Universitate Kuopioensi una cum collegis ex Instituto Carolino Stockholmiensi fecerunt.

### **De mirabilibus Finniae**

Locus, qui ad rem viariam domesticam Finniae anno praeterito plurimum referebat, electus est hortus statuarum in paroecia Parikkala situs.

Multa dena milia hominum quotannis eo conflunt, ut ingentem multitudinem figurarum humanarum gratis admirentur, quas de sua pecunia confecit Veijo Rönkkönen, artifex de plebe.

### **Certamina Helsinkiensia**

In urbe Helsinki certamina Europaea patinationis artificiosae facta sunt.

In serie feminarum nomisma aureum consecuta est Laura Lepistö, artifex patinatrix Finlandensis. Praestationes enim eius duobus punctis meliores iudicantur quam Carolinae Kostner, feminae Italianae, quae loco secundo posita est. Tertium praemium meruit Susanna Pöykiö Finlandensis.